

Appendix A:

Johannes Antonius de Trivultiis, juris utriusque doctor, sanctissimi domini nostri papae capellanus, prelatus et refferendarius domesticus ac ipsius sacri pallatii apostolici causarum causaeque et causis ac partibus infra scriptis ab eodem domino nostro papa auditor specialiter deputatus.

Universis et singulis dominis abbatibus, prioribus, praepositis...salutem in Domino...
Noveritis quod nuper sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Leo divina providentia papa decimus quandam commissionis sive supplicationis papiri cedulam, copias duarum aliarum commissionum in eius preambulo continentem, et nobis per certum suum cursorem portari fecit quam nos huiusmodi rerum ea qua decuit reverentia recepimus, sub tenore: Beatissime Pater, tametsi prepositura nec non canonicatus et prebenda, quos quondam Jacobus Rishoffer in ecclesia sancti Thomae Argentinensis vivens obtinuit, ad devotum oratorem vestrum Wolfgangum Fabritium Capitonem pertinuerint ac pertineant ac tam in illis quam ad eosdem oratori jus etiam adhuc vivente prefato Jacobo defuncto competierit ac propterea nemini licuerit asserere preposituram et canonicatum et prebendam predictos ad se pertinere, nihilominus, ut fama est, nonnulli in urbe et presertim quidam Jacobus Abell et Sebastianus Bender affirmaverunt magis ad eos quam ad oratorem preposituram ac canonicatum et prebendam predictos omnino spectasse et pertinuisse, licet inepte forsanique etiam quasdam generales sententias post mortem Jacobi defuncti dicto oratore nequaquam citato extorserunt. Quapropter ut iniqua petentium ambitio compescatur et in iure cognita pro tribunali causa decidatur ad quem pertineant huiusmodi beneficia, dignetur sanctitas vestra causam et causas quam et quas idem orator habet et movet, habereque et movere vult, et intendit adversus Jacobum et Sebastianum predictos omnesque alios ... alicui ex vestri sacri pallatii apostolici causarum auditoribus committere...

[Signatura:]

Ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque de mandato domini nostri papae, audiatur magister Mercurius et, constito summarie de non tuto accessu, citet, inhibeat etiam sub censuris etiam per edictum, ut petitur, et in eventum predictum declaret, aggravet, et etiam cum invocatione. Si et prout de iure et iustitia faciat placet domino nostro pape. Leonardus Cardinalis sancti Petri ad vincula.

Pater sancte a nonnullis asseritur prefatum Jacobum Abell a Reverendo patre domino Johanne Antonio de Trivultiis sacri pallatii apostolici causarum auditore post mortem Jacobi Rishoveri extorsisse quandam assertam generalem sententiam contra omnes et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes eandemque pretensam sententiam in rem transivisse iudicatam ac litteras exequutoriales super ea decretas que omnia tunc demum locum haberent si nemo contradiceret; ac propterea prefatum oratorem nequaquam ligant cum idem orator ad huiusmodi sententiam citatus non extiterit ac novus in causa sit litigator. Ut igitur apud eundem iudicem intelligatur an asserta res iudicata predicta prefatum oratorem afficiat nec ne, seu dictus orator, eadem non considerata, possit ad ulteriora procedere, dignetur igitur sanctitas vestra ad eiusdem Wolfgangi oratoris preces prefato domino Mercurio auditori committere atque mandare ut idem Mercurius, in quantum eadem¹ asserta res iudicata aliquam vim obligatoriam adversus oratorem obtineret ad illius ulteriorem exequutionem, ipse Dominus Mercurius et non prefatus dominus

¹ Corr. 'easdem'.

Johannes Anthonius [ut?] antequam procedat cum potestate causam et causas ... audiendas et secundum iusticiam decidendas faciendi quae sibi videbuntur oportuna.

[Signatura:]

De mandato domini nostri Papae, idem magister Mercurius procedat ut petitur, et iusticiam faciat. Placet domino Papae. Leonardus Cardinalis Sancti Petri ad vincula.

Beatissime Pater, dictus Wolfgangus preinsertas post obtentam rem iudicatam et decretum exequutorialium extorsit, et non creditur de mente sanctitatis vestrae esse per preinsertas² velle amovere exequutionem rei iudicatae pro Jacobo oratore obtentam. Supplicat igitur sanctitati vestrae humiliter prefatus Jacobus Abell orator, quatenus dignetur prefato domino Johanni Anthonio Trivultio auditori coram quo ipse Jacobus orator rem iudicatam ac litteras exequutoriales obtinuit, et non ipsi domino Mercurio, committere et mandare ut sententiam exequatur necnon exequutoriales predictas exequi mandet et alias in negotio exequutionis procedat ac si preinserta sine preiudicio legitimo exequutionis et rei iudicatae obtentae fuissent attenta,³ quod adversarius non est possessor...

[Signatura:]

Necnon feriis generalibus nuper de mandato sanctitatis vestrae etiam de mense Septembris nuper indictis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque huiusmodi siquidem commissionis sive supplicationis papiri cedulae duplex erat signatura, quarum prima talis videlicet: de mandato domini nostri papae audiat idem magister Ioannes Anthonius, citet, inhibeat etiam sub censuris et aliis premissis penis, procedat et exequatur, ut petitur, feriis et aliis premissis non obstantibus. Alia vero talis videlicet: Placet domino nostro Pape. Johannes Casertanus.⁴

Post cuius quidem commissionis sive supplicationis papiri cedulae presentationem et receptionem nobis et per nos ut premittitur factas fuimus pro parte venerabilis viri domini Iacobi Abell principalis in preinsertam commissionem sive supplicationem papiri cedulae principaliter nominatam debita cum instantia requisitam, quatenus in causa et causis huiusmodi more solito inhibere sibique litteras inhibitorias desuper oportunas sub excommunicationis ab aliis sententiis censuris mille ducatorum penis extra Romanam Curiam et ad partes in forma solita et consueta decernere et concedere, nec non litteras exequutoriales alias pro dicti domini Iacobi Abell principalis parte per nos in quadam causa coram nobis inter quendam Sebastianum Bender clericum Argentinensis diocesis actorem ex una et quondam Iacobum Fabri alias Rishoveri et post dicti Iacobi Fabri obitum omnes et singulos sua interesse putantes de et super prepositura ecclesiae Sancti Thomae Argentinensis ac una in Wergersheim zum Thunen et alia in Ilkirchen et reliqua in Rumersheim parrochialibus ecclesiis locorum Argentinensis diocesis primo et deinde inter dictum Iacobum Abel principalem et eiusdem domini Sebastiani Bender iuris cessione ad rei iudicate prosecutionem admissum, pendentibus⁵ decretis [?] iuxta [?] earundem exequutorialium litterarum ac alias vigore specialis commissionis decreti instrumenti et transmissionis [?] ... vim formam continentes et tenorem in omnibus et per omnia exequi mandare dignaremur...

² Corr. 'proinsertas'.

³ Corr. 'attento'.

⁴ Corr. 'Cusertanus'.

⁵ Corr. 'pendente'.

Datum et actum Romae in domo habitationis nostrae sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo, indictione octava, die vero Martis, vigesima quarta mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Leonis divina providentia papae decimi anno octavo.